De fontibus historiæ Scandinavicæ eosque quomodo adierint compendiorum Auctores

meditationes, quas

adjuvante Deo

et

consentiente Max. Venerando Cons. Eccles. Lundensi

pro munere Rectoris

modeste proponit

PETRUS S. WÅHLIN

A. L. M.

respondente fratre

CAROL. LUDOVICO WÅHLIN

Scano.

In Audit. Majori die XXIX Aprilis MDCCCXL.

Hor. p. m. sol.

LUNDÆ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING,

Universitatis Typographus,

MDCCCXL.

Tempore, quo quantum ad animum excolendum valeant illa litterarum classicarum rerumque naturalium studia, sæpissime disputationi subjicitur, hoc inter omnes convenit, historiam unicuique, qui sibi nomen eruditi reservatum velit, maximi esse momenti. Quæ alia scientia sapienti tam copiosam instituendi materiem, quæ rerum usu perito tot tantaque exempla imitatione digna, quæ denique uberiorem offert ingenuarum oblectationum fontem*)? Præcipue historia patriæ cordi curæque erit omnibus, qui aliquo in patriam ejusdemque gloriam ac integritatem amore ducuntur. At vero in historia docenda, quænam potissimum adhibenda sit methodus, discrepant sententiæ ab eo inde tempore, quo, quanti sit historia momenti, intelligi cœptum est; etenim per se patet, non esse omnibus uno eodemque modo, nulla habita ætatis ratione, tradendam historiam. Id tamen inter omnes fere convenit, studium historiæ, ut sit cuicunque ætati accommodatum, ita animos juveniles ad litteras percipiendas reddere proclives. Iis, qui methodum biographicam pueris maxime consentaneam esse contendunt, lubentissime adsentior, siquidem caute fiat delectus i. e. si diligenter prospiciatur, ne animi juveniles turpitudine quadam præmature imbuantur, et si ea, quæ in rerum humanarum progressione notatu dignissima sint, ita proponantur, ut etiam res gestas virorum clarorum comprehendant. Quo fundamento haud erit difficile amplius quoddam et magis elaboratum opus ad ætate provectiores instituendos exstruere, in quo res epocham, ut dicunt, facientes, magis designentur, et ordine

*) Schiller: "Was heisst Universal Geschichte," etc.

quodam chronologico omnia proponantur. Ut enim pueris maxime ipsi homines arrident, ita ab ætate provectioribus universi populi maximam sibi vindicant attentionem, ita tamen ut, quoad fieri possit, populi per se spectentur et discenti tanquam singuli quidam homines videantur. Puerorum igitur maxime interest, ut omnem historiæ campum cum omnibus rebus hominibusque cogitando ita comprehendant, ut et studium in eundem campum excurrendi promoveatur et ingenium a natura iis tributum excolatur. Ætate autem provectiorum nihil magis interest, quam ut agendi sentiendique honestas, observando, quæ quacunque ætate honeste, sincere eleganterque gesta sunt, ita corroboretur, ut sibi persvadeant, esse aliquod numen præstantissimæ mentis, a quo omnis rerum humanarum exitus regatur, itemque ut nihil antiquius habeant, quam ut ipsi omnem, quæ sibi tributa sit in agendo virtutem, ad eundem finem promovendum aliquando adhibeant. Nam a primordio generis humani ad nostra usque tempora res continuo progrediuntur, ut is, qui animum attenderit, caussas et consequentia facile perspiciat. Neque vero historico majora quædam proposita sunt, quam ut ostendat, quo modo omnia quæcunque homines in terris agant, ad finem æternum identidem spectent; quo facto per se patebit, rerum progressum, quem supra diximus, non ad casum atque fortunam esse referendum, sed potius a summo numine ad unum quendam consensum concentumque esse compositum. Oculorum tamen humanorum acies obtusior est, quam quæ omnem hunc consensum circumspicere possit, etisi am omnia, quæ in terris umquam gesta sint, incorruptis rerum gestarum monumentis continerentur. Ut enim undæ undas consequuntur, ita res humanæ sese evolvunt perpetuo neque mora ulla nec requiete fruuntur: quæ autem futura sint, quo modo fiant et quamnam sibi induant speciem, non magis mentes hominum providere quam oculi eorum immensum oceanum circumspicere possunt. Sed quamvis alii aliter historiæ viam atque rationem proposuerint, nemo tamen historiæ satisfacere poterit, nisi qui veritatem summam ejus rationem statuerit et quasi unicum, quo niti possit, fundamentum. Est itaque veritas summa lex historiæ. Quid enim veritate præstantius, quid divinius homines hominibus tribuere possunt? Historico autem, antiquitatem propondituro, nulla nisi veritatis lucerna viam monstret in eligendis rebus atque explicandis. Quæ quidem véritas, et res et verba ei suppeditans, viam monstret, qua omnia, quæ insignia atque necessaria sunt, exquirat, futilia autem et fortuita removeat, quo necessitudinis vinculo res contineantur, explicet, ut veram earum indolem atque naturam perspicere possimus, ne magna nobis minuta, ne exigua gravia videantur, sed omnia eam loci dignitatem, quam quondam habuerint, retineant. Quam quidem virtutem assequi quamquam nemini adhuc mortalium conti-

git, est tamen finis, ad quem historia tendere debet, quemadmodum poësis pulchritudinis excellentiam quandam sequitur. Id tamen pro certo statuere licet, scientiam historicam hoc nostro tempore id fastigium esse assecutam, ut historico non liceat, fabulas rebus gestis miscendo, historiæ integritatem corrumpere. Hæc scribendi ratio, quæ aliquot abhinc sæculis apud majores nostros valuit, cum aliter scribere posset nemo, nullam sane habet excusationem, si quis nostro tempore, meliorem rationem edoctus, vestigia premat, quæ ab historia ferunt.

Omnis historia e fontibus emanare debet, seu e monumentis, quæ hominum antiquorum vitam et res gestas conservant. Iis tamen non adsentior, qui contendere videntur, historiæ initium in ipsis rerum omnium primordiis esse ponendum. Quæ nullo nituntur monumentorum hominumve testimonio, ea non possunt, quamvis magna et gravia fuerint, locum sibi in historia vindicare. Quamvis fontes in duo genera referre voluerint, quorum ad alterum ii pertinerent, qui mythici appellantur, ad alterum revocarentur ii, qui vere historico fundamento gauderent, attamen cum historia, quam veritatis lucem haud inepte appellaveris, in proponendis rebus, quæ olim gestæ sunt, versetur, perspicuum est, non posse illam, ad ea usque tempora revocari, quorum memoria nullis omnino monumentis nitatur. Ubi igitur prima deprehendimus humanitatis cultusque vestigia, memoriæ quodammodo prodita, ibi primum esse historiæ fontem atque originem, nostro quodam jure contendere nobis videmur. Qui homines atque humana acriori contemplatus fuerit animo, ei singuli homines et universi populi eadem fere via eodemque modo ad humanum civilemque cultum procedere videbuntur. Utrique quasi somniando prima stadia percurrunt, viribus vero auctis, hi sæculis, illi annis volventibus sui juris fiunt et tamquam maturitatem assequuntur. Etenim mihi videntur populi non aliter ac singuli homines emori; mors enim aut tranquilla et ut jubet vitæ necessitas advenit, sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumtus ignis exstinguitur; aut vis quædam hominibus vitam aufert, ut cum aquæ multitudine flammæ vis opprimitur. Quam similitudinem etiam ad populos transferre licet; nam aut sensim emori videntur, cum, labente paullatim rerum civilium disciplina, in alios se mores et instituta formant; aut subito exstinguuntur, cum vi oppressi alieno imperio coercentur, et omnem propriæ dignitatis sensum patriæque amorem amittunt. Ut autem animus in singulis hominibus non subito omnem intelligendi virtutem suique conscientiam assequi potest, sed sensim et quasi gradatim ab infantili illa et obscura sentiendi facultate procedit, et quemadmodum ætas infantilis, quæ initio quasi somniat neque sui conscia est, mox tamen memoriæ, ut ita dicam, vestigia imprimit, quorum blanda recordatio hominis adulti animum mira semper

oblectatione tangit, sic et singuli populi et universum genus humanum infantiam quandam et quasi ætatem puerilem habuerunt, cujus recordatio, obscuritate fabularum, quæ mythicæ apellantur, involuta, per temporum diuturnitatem manet. Cum de mythis quæritur, difficile est eas fabulas, quæ ideam religiosam involvunt, ab illis destinguere, quæ aut solam rem gestam significant, aut eandem poëticis ornamentis plus minusue decoram proponunt, aut denique ideam, non solum illam quidem, sed narrationum ornatu distinctam, comprehendunt. Quæ caussa est, cur historici, qui quidem severi et graves sint, omnem fabularum varietatem merito rejiciant, utpote veræ historiæ alienam. Neque tamen illi reprehendendi mihi videntur, si qui ex his fabulis, ad primam generis humani recordationem pertinentibus, eandem animi voluptatem capiant, quam sentiant omnes, memoriam insontis infantiæ revocantes, quæ quidem propter suam dulcedinem omnes ad se attrahat necesse est. Quamobrem animus inclinat, ut illa quoque tempora, quæ nullam, nisi quæ fabulis continetur, sui memoriam reliquerunt, finibus historiæ comprehendamus, in qua quodcunque temporis spatium proponendum est, cujus si non perfectam at aliquam certe notitiam habemus. Nec tamen unquam negaverim, difficile esse dijudicare, num fabulæ, quæ a mythica inde ætate emanarunt, satis sint ad historiam aptæ, præsertim cum contendere liceat, viam et rationem, quibus explicari debeant, a doctis nondum esse inventas, nedum apte et ut par erat propositas: et quamquam haud aspernanda est illa cognitio, quam mythi, qui dicuntur, sagaciter investigati offerunt, quamvis eadem, de infantili generis humani ætate, non nisi manca sit et imperfecta; negari tamen non potest, genus humanum vix prius, quam ad certum quendam culturæ gradum pervenerit, posse historicorum investigationibus subjici.

Hominibus antiquitatis eruditissimis, qui sane nos, de occidentalis septentrionalisque Europæ gentibus, præcipue certiores fecerunt, Scandinavia diu fuit incognita. Veterum geographiæ cognitio finibus terrarum, quæ ad mare mediterraneum adjacent, diu erat circumscripta, et dum coloniis, expeditionibus ac itineribus mercatoriis multas gentes, quæ circa Pontum Euxinum habitabant, cognoscunt, Scandinavia illis adhuc est ignota. Significant quidem memoriæ fere oblitteratæ, Scandinaviæ et maris Baltici oris cum gentibus Thracicis antiquitus fuisse commercium*). Hæ autem memoriæ, etiamsi una alterave commixtæ sunt historica narratione, in mythos abeunt, ad quos referendum est, quod de Hyperboreis ac Macrobiis fuit

---

*) G. Schöning "Afhandling om de gamle Grekers og Romeres rette begreb og kundskab om de Nordiske lande.

allatum. Pytheas *) Massiliensis (330 a. n. C.) jamjam indicat, e Germania molem quandam terrarum caurum versus esse sitam, et trecentis post eum annis Romani suis in Germania ac Britannia occupationibus ad gentes Scandinavicas propius accesserunt, nullum tamen cum iisdem ineuntes commercium. Quibus occupationibus certe debemus, quod a Pomponio Mela, Plinio, Tacito nonnullæ de Scandinavia traditæ sunt narrationes, quæ tamen, quoniam Veteres non nisi absurdam de situ Scandinaviæ sententiam habebant, nullum fere secum habent emolumentum. His longe est copiosior Ptolomeus, qui non solum nomina gentium Scandinavicarum pronuntiat, sed de eorum etiam urbibus ac pluribus institutis facit mentionem. Cum vero fontium siccitas aut abundantia vim maximam in historiam exerceat, si fontes èxsiccantur, historiæ intervalla exstent necesse est. Unde factum est, ut ab incipiente sæculo secundo, quum gentes Germanicæ terras meridionales occupare coeperunt, nullam de Scandinavia habeamus cognitionem. Neque hæc ante magnam illam gentium migrationem in lucem procedit. Quamnam illa rerum commutationem in Scandinavia effecerit, parum sibi cognitum habet historia. Exercitus Scandinavicos participes fuisse bellorum, quæ Romanum imperium postremum everterunt, scriptores fuerunt, qui affirmarent **). Sive hoc verum est sive falsum, nullam tamen habet dubitationem, intimam fuisse hoc tempore inter omnes gentes germanicas societatem. His bellis ad Europæ meridionales populos accuratior de Scandinavia pervenit cognitio. Qua cognitione Jordanis, Procopii, et Pauli Varnefridii nituntur narrationes, quæ haud exiguam vim in antiquissimam Scandinaviæ historiam habuerunt, quamvis ex iis tantummodo, quæ ab aliis essent relata, emanarint. Quam parum fidei habendnm sit iis, qui ex his fontibus hauserint, non difficile est intellectu. Alium fontem, quamvis haud uberiorem, nobis præbet litteratura Arabica ***). Fuit enim tempus, quum in toto orbe terrarum nullus alius populus tantum, quantum Arabicus, humanitatis ac doctrinarum sibi vindicaverat. Quum illius imperium maxime floreret, ab Indo sese ad mare Atlanticum extendebat, ideoque plures populos quam ipsi Romani unquam in ditione tenebant. Agmina Arabum mercantium plurimas terras tum cognitas peragrarunt. Usque ad terras Europæ boreales viæ mercatoriæ duxisse videntur, quibus etiam ad Arabes

---

*) Fidem Pytheæ, jam a Strabone multisque aliis in dubium vocatam, celeberrimus Prof. Nilsson confirmavit in libello, qui inscribitur: Några commentarier till Pytheas fragmenter om Thule.

**) Leo, Ital. Geschichte 1, 65.

***) Ibn-foszlan's und anderer Araber Berichte von Frähn.

de Scandinavia commemorationes pervenire potuerunt. Sunt autem perturbata ac intricata fere omnia, quæ ab iis de Scandinavia scripta adhuc invenimus. Sæculo nono Scandinaviæ demum contigit ab historicis accuratius tractari. Eginhardus, æqualis Caroli Magni atque biographus, narrationes de Scandinavia paulo clariores magisque ad veritatem accedentes primus tradidit. Ex, iis quæ enarrat, concludendum esse videtur, Suecos nono sæculo incipiente ad Scandinaviæ usque partes meridionales suum extendisse imperium. Duobus modis, qvamvis diversissimis, tamen nexu quodam interno inter se junctis, rebus Scandinaviæ hoc tempore lumen allatum est. Dum enim una ex parte iis, qui ad doctrinam Christi inter ethnicos missi erant propagandam, Scandinaviam cognoscendi præbita erat ansa, ex altera atrocissimi piratæ, qui oras Galliæ ac Britanniæ diripientes visitarunt, ad quandam patriæ ipsorum cognitionem divulgandam adjuverunt. Optimam sane habuerunt Anglosaxones occasionem sibi comparandi horum piratarum notitiam, cum quibus tam multa tamque cruenta proelia committerent. Inter Anglosaxones maximum sane historiæ Scandinaviæ attulit adjumentum Alfredus ille Magnus, qui studio vehementissimo populum suum excolendi ad humanitatemque informandi commotus, opus geographicum Orosii in linguam vernaculam reddidit eique redditæ applicavit Otheri et Ulfstani de Scandinavia descriptionem, quam suis ibidem itineribus cognoverant. Ut Anglosaxones ita etiam Francos classes piratarum vexarunt. Regnante Carolo Magno ad oras Galliæ subinde advenerunt, quas tamen vis regis ac efficacia oppresserunt. Cujus successoribus regnantibus, quamquam suas piratæ continuabant direptiones, quod ad Scandinaviæ historiæ lumen afferendum valet, in annalibus Francorum frustra quærimus. Quibus maritimis prædationibus finem tandem imposuerunt imperatores Germanici, qui plures viros post Ansgarium atque Rimbertum doctrinæ Christianæ divulgandæ gratia in Scandinaviam miserunt, ideoque haud parum ad eandem reliquæ Europæ cognitam faciendam adjuverunt. Inter chronistas germanicos præcipuum tenet locum Adamus Bremensis, utpote qui omnium exterorum primus historiam Scandinaviæ cum quadam copia tractaverit. Hi fere sunt exteri fontes, qui historiæ Scandinaviæ cujusdam sint momenti. Quamvis non multa sint ea, quæ exinde percipiuntur, attamen sunt haud parvo emolumento, quippe qui cum intestinis illis comparandi eosdemque dijudicandi materiem præbeant. Inter Historicos Danicos sunt præ ceteris nominandi Sveno Agonis et Saxo, qui tamen brevissimam tantum et quasi in transitu de Suecia faciunt mentionem. In eorum scriptis, quoad Sueciam, Regum solummodo enumerationes eædemque exiguæ fidei obveniunt. Historiæ Suecanæ antiquiori fontem aperuit uberrimum litteratura Islandica, quæ accuratius ac copiosius tractavit Sveciam.

Sæculo duodecimo rerum gestarum historiam Islandi cœperunt conscribere eandemque per decimum tertium et quartum decimum sunt persecuti. Quæ historia, si quidem Scandinaviam sibi tractandam assumsit, partim ipsa scriptorum experientia nititur, partim etiam ab antiquiori quadam epica poësi suam originem ducit. Quæ vero Islandi quoad historiam condiderant, in eis colligendis studium ac diligentia a posteriori demum tempore sunt collocata, neque tamen fieri potuit, quin permulta eorum vetustate temporum aboleverint neque ad nostram pervenerint cognitionem.

Quæ vero nostri homines historiæ conscribendæ tradiderunt documenta, ea ad ætatem longe recentiorem pertinent, quam qua exterarum gentium historica litteratura in lucem fuit prolata. Annalium scriptores sero demum in Svecia exstiterunt. Ad antiquissima historiæ monumenta sunt sine dubio regum enumerationes, quæ vocantur, referendæ, quamvis easdem forsitan exteris hominibus debeamus. Postquam vero nostrates, quæ in historia ab exteris auctoribus erant conscripta, cognoverunt, annalium formam relinquentes seriem quandam in rebus enarrandis ac continuationem induxerunt. Cujus generis quæ supersunt chronica rythmica et historia Sveciæ ab Erico Olai conscripta sunt utique antiquissima. Ad imperium vero postquam venit familia illa Vasiana, in historiam patriam studio quodam atque amore ardentiori incumbere coeperunt. Vetustissimum idemque amplissimum hujus temporis opus, historiam Gothorum Svecorumque, Johanni Magno debemus auctori. Archiepiscopalem dignitatem ipsamque patriam relinquere coactus, ut per omnes terras fama Sveciæ ac gloria percrebesceret, sese ad ejus historiam conscribendam accinxit. Rationes temporum regumque enumerationem, quæ in chronicis continebantur, prorsus recusans, quæ de patria brevi post terrarum inundationem occupata deque gentium migrationibus cogitabat, ea in ordinem redigenda sibi assumsit. Magogem Japheti filium nepotemque Noachi primum Sveciæ regem fuisse pronuntians, omnes deinceps successores enumerat et ex litterarum monumentis, ad quæ aditus patebat, nunc hinc nunc illinc res gestas depromsit, easque ut ad hoc vel illud nomen ac tempus sese optime accommodare videbantur, eidem haud dubitavit attribuere. Eodem fere tempore Olaus Petri conscripsit jubente Gustavo illam Sveciæ chronicam. Quamvis non magnum investigandi acumen in lucem protulerit neque in antiquis rebus exquirendis altius penetraverit, attamen pluribus locis indicavit, quam parum ea æstimaret, quæ antea essent ab annalium svecicarum scriptoribus tradita. Primus omnium, pravis ac absurdis judiciis liber, nostra antiquitatis monumenta disquisivisse merito putatur. Cum hæc chronica magno Regi

valde displicerent, ad historiam Sveciæ condendam sese contulit Laurentius Petri, quæ, amotis eis, quæ Regi haud arrisura esse videbantur, est e fratris opere maximam partem excerpta. Regnum Gustavi Adolphi, ut ipsi patriæ maximi erat momenti, ita in historicas etiam disquititiones vim sane habuit plurimam. Tum primum historiæ vernaculi fontes in lucem prodierunt, a quibus ille doctrina ac diligentia insignis Messenius non sese diu, quo minus hauriret, abstinuit. In opere suo, quod Scondia illustrata inscribitur, cum de nepotibus Fornjotheri, de quibus Fundin Norregr enarrat, facit mentionem, tum etiam Odinum tertiæ ejusdemque ultimæ immigrationis principem fecit. Hunc in Regum numerum primus admisit Loccenius; introductio vero historiæ svecanæ, a Puffendorphio conscripta, ultimum est amplioris voluminis historicum opus, in quo Saxonis opinandi rationem introductam adhuc invenimus. Islandus ille Rugmannius, quem in bello cum Dania capiebant Sveci, non minus, quam illud 1667 institutum antiquitatum collegium disquisitionem historicam ad litteraturam præcipue Islandicam adverterunt. Verelius, Peringsköldius, Rudbeckius ceterique doctrina sua ac diligentia ad historiæ cognitionem divulgandam plurimum adjuverunt, quamquam eorum plures nimia credulitate magnam excitarunt confusionem. Sæculum antiquarium, quod nominatur, sua vehementissima continuabat certamina, donec historiam pragmaticam, haud ad finem perductam, edidit ille Vildius, idemque in lucem protulit annotationes in Puffendorphii libellum ex historia Johannis Magni excerptum, qui unus tum temporis vulgo legebatur. Nec tamen dubitamus contendere, ex omnibus scriptis historicisquæ a nostratibus emanarunt, regni svecani historiam, auctore Dalino, ad usum frequentiorem primam fuisse accommodatam. Cui tamen omne dijudicandi acumen denegat Botinus eiusque judicio eo potius est concedenda auctoritas, quia, quod Dalino denegavit id sane maximum in opere quodam ipse ostendit. De patriæ inprimisque ejusdem medii ævi historia sine ulla dubitatione optime meritus est Lagerbringius, qui magna cum diligentia fontes congessit atque adhibuit, dicendique præterea copia et judicandi acie atque integritate omnibus, qui ante eum tractarunt historiam, longe antecelluit. Si vero judicium atque ingenium, quod historiæ scribendæ ratio hac nostra ætate sibi vindicavit, respexerimus, omni jure nobis dicturi esse videmur, eandem ad id adscendisse fastigium, quod præterlapsæ ætates ne divinare quidem potuerint.

Fontibus nostræ historiæ ita breviter expositis, virisque qui historia scribenda laudem aliquam sibi compararunt commemoratis, ad compendia nos conferimus, quæ plerumque ad aliquem eorum, qui eandem rem effusius antea tractarant, plus minusve sese applicaverunt. Ut alibi, ita in Svecia per imperium Romano-catholicum

nulla fere alia pueris docendis fuerunt instituta, nisi Cænobia Ecclesiastica *), quæ vocabantur, ubi iis tantummodo tradebatur doctrina, qui vitam suam ecclesiæ erant dedituri. Qui in studio litterarum longius aliquanto progredi optabant, iis ad exteras universitates imprimisque Parisiensem erat confugiendum. Stenoni Sture, imperii procuratori, primo fuit ab hierarchia pontificia licitum, Upsaliæ fundare Academiam. Die 28 Febr. 1476 Sixtus IV edidit litteras, in quibus confirmabat, Upsaliæ fore sempiternum "studium generale in Theologia nec non in Canonico et Civili Juribus" etc. etc.

Reformationi vero præcipue laus est concedenda, illas etiam litteras, quæ non ecclesiæ serviebant, fouisse. Plures scholæ triviales curante Gustavo 1:mo institutæ sunt, quarum nonnullæ in possessionibus claustrorum, quæ in publicum erant addicta. Qui eum in regno proxime sunt consecuti, quantum turbulentissimæ tempestates ipsis tribuerunt otii, multum sane ad informandi institutiones promovendas attulerunt. Gustavum vero secundum Adolphum, ut propter multa alia, ita etiam ob præcipuam curam, quam ad juvenes educandos convertit, memoria venerabunda semper patria reservabit. Est etiam credendum, brevi ante tempore, quam ad regnum pervenerit, historiæ compendium, quod in scholis esset adhibendum, quodque inscribitur: "Een kort och nyttigh Chrönica om alla Sverges och Göthes Konungar, som hafva både in- och utrikes regerat, ifrån then första Kon. Magog intill thenna höglofliga nu regerande K. Carl den 9:de, så ock om de Amazoniske Qvinnors berömligha gerningar etc. Sampt en Oration som hållen är uti Basel Anno 1440 aff D. Nils Ravaldi etc. Thesslijkes på hvad sätt Konungavalet hoos de Svenske och Götherna fordom är hållit blifvit etc. uti tree böcker författat, skrifvin, och utgången aff Petro Petreo **), editum fuisse. A Magoge, qui, gentis suæ conditor, Schythiæ Europeæ atque hodiernæ Finlandiæ, imperabat, usque ad Carolum IX:num, quo tempore quisque regnum obtinuerit et quæ præcipue memoria digna uno quoque regnante facta sint, secundum ordinem temporum ad unguem persecutus est. Quanti hoc opus illis fuerit temporibus, exinde patet, quod ter editum in vulgus exiit. Huic proximus est Laur. Laurinus, ab illo parum discrepans, nec magni habendus. Quorum utrumque, ut multis videtur, doctrina rerumque copia valde præstat J. Loccenius in libro suo: Rerum Svecicarum Historia a Rege Berone tertio usque ad Ericum decimum quartum deducta; quamvis a veteribus scriptoribus deceptus falsa usus sit chronologia neque omnino solitis illius sæculi conjecturis careat: historiam vero posterioris ætatis solito co-

*) Hammarsköld, Förteckning på undervisningsböcker etc.
**) Bibliotheca Historica af Warmholtz.

piosius tractavit. Huic fere par est Mich. Wexionius, etiam eam ab caussam laudandus, quod rerum civilium scientiam attigit. In libello, de Regibus Sveogothicis (1678) id sibi propositum habuisse videtur, ut quæcunque, de Svecicis rebus a Magoge ad Christinam reginam, memorabilia evenerunt, accurate enarret. De proximis sibi temporibus in primis est multus, nec desunt ad quæ nunc quoque attendas. Æqualis fere his fuit Sam. Puffendorphius*), qui de antiquis rebus Ericum Olai, Johannem Magnum et Loccenium secutus est, quamobrem illa ejus operis pars, quod ad chronologiam seriemque regum attinet, fide exigua digna est; attamen illud opus, undique laude acceptum, plures nationes sibi vertendum curarunt. Omnia et singula**) ne enumerem hujus sæculi opuscula, vetat et tempus et locus. Unum omnia sonant. Joannemque Magnum plus minusve redolent. Horum sententias proxime acriter defendit Mag. Göransson libro, qui inscribitur: Svea Rikets Konungars Historia från 2200 f. Chr. intill 1749; qui tamen ab illis in eo dissentit, quod Gomerum filium Japheti nec non Magogem fratrem primum Sveciæ regem vere habendum putat. Non est negandum, multum sudoris operæque in hoc libro collocatum fuisse, judicium vero rerumque delectum plane omisisse auctorem, patet. In conjiciendo ipsum Rudbeckium antecellit. Nec silentio prætereundum est, opus, de quo dicimus, exiisse aliquot annis postquam Vildius et Dahlinius scriptores exstiterunt, qui sane novam historiæ nostræ scribendæ ingressi sunt viam. Ex libris, tironibus accommodatis hujus ævi primus nobis occurrit: Utkast till Svenska folkets Historia af And. Botin, cujus in prima periodo continentur, quæ ab antiquissimis temporibus de regionibus septentrionalibus cognita fuerunt, deque origine gentis Svecanæ. Magna in obscuritate rerum versari, plerumque in meras conjecturas eos abire fatetur, qui de primis terræ cujusdam incolis gentiumque origine scrutari velint. Huic Odinus, qui suo nomine Sigge appellabatur, inter homines, qui unquam vixerunt, maxime insignes habendus videtur, qui quidem septem filiis in singulis regionum finitimarum regibus constitutis domicilium in Svecia sibi constituit. In secunda periodo, quæ ab Odino ad Ingialdum insignia facta sunt, repetit. Eximium sane, secundum normam illius temporis consideratum, hoc est ingenii monumentum;

*) Samuel Puffendorfs inledning till Svenska Historien, med därtill fogad ökning, ställdt emot en fransos Ant. Varillas under Auctoris egen Censur uttolkad af Petro Brask 1688. Quæ contra Varillam scripsit, librum hujus: "Histoire des Revolutions arrivées en Europe, en Matiere de Religion etc. spectabat.

**) Ceteris præferendi sunt Dahl 1718, Sylvenius 1728, Verelius 1730, Hyphoff 1731, Bäckström 1748 etc.

quo magis dolendum tam præmature hunc auctorem a scribendo destitisse; vix unione Calmariense finita, operi suo, secundum methodum ut dicitur pragmaticam composito, finem imposuit. Postero anno illa, quam supra diximus, Dahlini Historia Svecana, in compendium redacta, in vulgus exiit. Etiam his temporibus non omnino defuisse scriptores, orationis elegantia non minus quam rerum judicio destitutos, liber est testis, qui inscribitur: Kärnan af Svea Rikes Historia af Lundström. 1762 in lucem prodiit Utkast till Sv. Folkets Historia från dess första upprinnelse till och med Konung Gustaf den I:s tid auctore Erico Benzelio; quæ primo e commentariolis eorum, qui eum publice prælegentem audierant, innotuerat, nec erat rerum patriæ aliquanto amantior, qui hæc sibi plus minusve accurate descripta non haberet. Cum vero non ipse sed filius opus edendum curavit, complura vitia eademque gravia illi irrepserunt. Compendium Svenonis Lagerbringii multitudini minus arrisisse videtur, quam opus illud grandius ejusdem auctoris, nec ad id, quod requisitum fuerat, satis aptum.

Permultis iisdemque levioribus silentio prætermissis negligere nolumus Historiam Christiani Wåhlin; utpote pluries, quam antea operibus hujus scientiæ contigit, editam ac denique mendis satis liberatam.

Joannem Magnum Daniæque veustatis memoriam fontes fuisse, unde nostra quoque compendia huc usque hauriebant percepimus. Quamvis ars critica omnes e Saxone receptos omiserit reges, non tamen novos fontes acrius explorare ac examinare valuit. Ut enim historici veteres majorem, quam quod par esset, patriæ illustrandæ spem in Gothicis traditionibus collocarunt, ita posteris etiam nimia fuit Islandorum fiducia. Historiæ studio, hoc tempore, nova periodus iniisse videtur, quia accuratior fontium exorta est investigatio, qua varii errores veterum sunt convicti et multa simul in dubium vocata *). Quod quam in hæc nostra compendia vim exercuerit, nobis in animo est exquirere.

Procemii loco in his nostris commentariis, compendia mythologica præmiserunt. Inter omnes constat, gentes septemtrionales, illis jamjam temporibus, quæ nulla historiæ luce illustrantur, mythologiam habuisse, piam quamdam res humanas atque divinas contemplandi rationem. Ad quam rite intelligendam nulla exstant artium opera, hominum priscorum manibus elaborata, qualia omnem Indorum Græcorumque mythologiam ita exponunt, ut facile intelliga-

*) Fontes quidem uberiores Historiæ Scandinavicæ maxime medii ævi offerunt Codicies legum veterum, nec non Scriptores rerum Suecicarum et diplomatarium suecanum, quorum continuam progressionem quisque Historiæ patriæ studiosus exoptat.

tur, et quid de universa eorum Deos colendi ratione, et qvid de singulis Deis sit sentiendum. Qui notitiam de Mythologia majorum nostrorum sibi comparare voluerit, eum ad fontes ipsos, utramque Eddam, delegatum volumus. Quarum quæ antiquior est, Edda Sæmundi inscribitur et carmina continet, quæ apud priscos paganos suapte quasi exstiterunt, ex quibus, quid senserint isti, quidque crediderint satis intelligi potest. Illa autem recentior omnem paganismi continet memoriam, quam ætas jamjam christiana sibi potuit revocare. Cujus temporis historia ut rite intelligatur, nihil magis interest, quam ut accurata, quantum fieri possit, Eddarum cognitio comparetur. Jam vero si Mythologia inprimis ostendit, qualis fuerit populi cujusdam sui conscientia sentiendique ratio, ad illustrandam historiam a procemio Mythologico multo majora postulantur, quam varia ille Deorum Dearumque enumerata multitudo, quorum haud paucos poetarum carminibus Divinitatem suam debere, facile quisque crediderit. Neque enim pagani moris erat, singulis Diis singulos agendi campos tribuere. Quamquam non is sum qui contendam, esoterismum seu occultam quandam doctrinam apud majores nostros viguisse, quod ad credendum scientià illa Runarum facile induceret, omni tamen jure statuere posse videor, omnibus omnia illa Deorum Dearumque nomina vix nota fuisse, quæ nobis innotuerunt. Mihi sane, ad id, quod requiritur, magis aptum esse videtur, accuratius quam, ut nunc fit, in compendiis exponere præcipuas fabulas, ex quibus ratio ipsa mythologiæ conspiciatur. Qui statuunt, omnes vel minimas res esse explicandas, iis non prorsus possum assentiri, cum mythos huc usque alii aliter interpretantur. Historia autem duce valde eos errare putamus, qui Deos arctoos nihil aliud nisi stellas ac meteora, nimbos et tonitrua esse arbitrantur. Qui vero nativa quædam sibi fingunt rerum divinarum præcepta, ad quæ omnem referant, suam explicationem, hi in eosdem errores mihi incidere videntur, in quibus versantur qui e similitudine quadam cultus communem gentium originem deductam volunt. Cultura enim animi non minus singulorum hominum, quam universarum gentium iisdem subjecta est sanctis summi numinis legibus, quibus regitur omnis rerum natura.

Si a primis inde initiis repetas, nulla fere gens aliis gaudet rerum monumentis, nisi quæ ad religionem, ad deos heroasque, deorum sobolem, pertinent. Sensim hi hominibus locum cedunt, tandemque fabula de fortibus viris, qui vere vixerunt, quæque ab iis insignia gesta sunt, narrare incipit, quo facto historiæ panditur via. Quonam vere tempore mytho historia successerit, difficillimum est, ut supra ostendimus, dijudicare. Versus autem finem sæculi noni multa evenerunt, quæ ad periodum mythicam in regionibus septentrionalibus finiendam conduxerunt, in quibus

afferenda credo, regulos abrogatos, et singula regna unius imperio subjecta, advenisse Evangelii inter Ethnicos interpretes, qui propagata religione Christiana litteris paullatim aperuerunt viam.

Odinum ut primum Sveciæ regem compendia nostra hodierna præbent et longum illam seriem Ynglingorum puerorum memoriæ inculcant. Qva nitantur auctoritate, nihil attinet dicere, omnibus enim notum est. Sagacissimi nostri ævi homines illam in discrimen vocarunt: neque tamen adhuc satis constat, vera an falsa habenda sit. Quæ de Asarum immigratione historici conjiciunt vulgo Saxonem et Sturloidem auctores laudant. Saxoni nemo adhuc plane adsensus est, quantumque fidei historicus veritatis diligens priori parti ejus historiæ habere debeat, quidque certum firmumque probet, egregie commonstravit de historia meritissimus Dahlman, dicens, nisi adjecta alia auctoritate, vix ulli verbo fidem esse habendam. Neque vero secius nostra magni interest, ejns scripta requirere, vitam enim moresque priscorum hominum conditionemque rerum externam perspicienti summus certe adfluet fructus. Quo plures Snorronis vestigia premunt; sine enim fuco et pigmentis res narrat, per se probabiliores, nec monachum redolet. Quanti vero ejus historia de Ynglingis, quæ, supra millesimum annum repetita, singulos ætatis ordines et quidem triginta enumerat, quorum ante coloniam in Islandiam deductam tantummodo tres aut quatuor in ceteris occurrunt tabulis, utpote veræ historiæ fons sit habenda, luculenter demonstravit doctissimus Müller, et apud nos vir, in investigando acutissimus, nuperrime docuit, quibus rationibus nixi, reges e stirpe Ynglingorum inter veros Sveciæ reges referre possimus. Eo jam deducta, acumine et diligentia recentiorum, videtur res, ut in promtu sit, ab Euhemerismo Odino, Niordo et Freij vim fere illatam fuisse, quæ de multis inter horum sucessores narrantur inter fabulas esse referenda, nec prius certam et indubitatam ordiendam esse seriem principum quam ab iis, qui proxime Olavum Skötkonung antecesserunt. Hæc vero non ita intellecta velim, ac si negem, multos illorum, qui ante eum reges nominantur, omnino Sveciæ vel cuidam Scandinaviæ parti imperare potuisse; sed ea tantummodo manet sententia, totam seriem esse incertam et summo jure in dubium vocari. Neque ex annalibus patriæ penitus tollenda regum illorum nomina censeo: de his quoque narret, qui res patriæ copiosius vult tractare, sed inter prolegomena ipsius historiæ locum habeant, ubi eo meliore jure sunt retinendi, qvod in his maxime eluceat animus ille magnus, fortis et excelsus, quo majores nostri inclaruerunt.